



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Libello citationis ante obitum delegantis proposito, lite post eius obitum contestata, potest in causa procedere delegatus. Qui etiam ad producendos testes inducias postulavit, videtur ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate lætitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt, indiscussa permanere non patimur, sedis nostræ diaconem ad ea inuestiganda dirigimus: quia nos facinora ea quæ audiuius, dissimulare non debemus, præsertim cum accusatores & accusatum gratiam inter se iudicatis fecisse: hoc vobis necesse est subtiliter perscrutari, ne forte eorum comparata concordia, quod absit, non ex necessitate, sed præmio facta esse constiterit.

CAP. III.

*Vrbanius tertius abbatibus de VVillebec & de Suluestun.*

Gratum gerimus & acceptum, quod in negotiis commissis vestræ iurisdictioni, debitam curam impenditis, & in his quæ dubitationem faciunt, pro grauitate vestri officii censuram sedis apostolicæ postulatis. Sane consuluit nos vestra discretio, an ante obitum delegantis, proposito citationis edicto, lite vero post mortem delegantis contestata, delegatus iudex nihilo minus debeat in causa procedere: & vtrum is intelligatur appellationi renuntiasse, qui ea interposita ad producendos testes inducias postulauit, & deinde productioni & allegationi renuntians, attestationes petiit solenniter publicari, sicut hoc totum circa decessum bonæ memoriæ prædecessoris nostri Lucii, qui vos iudices delegauit, sub examine vestro asseritis contigisse. Nos autem inquisitioni vestræ taliter respondemus, quod cum in priore casu citatione facta quasi cœptum sit negotium, & maxime, si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest & debet in causa procedi: tenebitque quod iustitia præuia fuerit iudiciali tramite diffinitum. In secundo casu videtur ab appellatione recessum, si secundum ea quæ præmissa sunt, eum qui appellauerat, constiterit processisse.

7. q. 1. Si quis prebyter.

11. q. 3. Si quis episcopus. 16. q. 3. Per singulas.